CIVICA
BIBLIOTECA
BERIO
F.Ant.
Misc.
Gen.
A
2
10
GENOVA

CIVICA
BIBLIOTECA BERIO
F.Ant.
Misc.
Gen.
A
2
10
GENOVA

Lib. Soled 8 APR. 1974
29-10-71

DE OPTIMA

CONDENDI, INTERPRETANDI,

DICUNDIQUE

JURIS RATIONE

LIBER SINGULARIS.

Legum idcirco omnes servi sumus, ut liberi
esse possimus.

M. T. Cic. Orat. pro Cluent. §. 53.

665-Sr
205, d222

Biblioteca Civica Berio Genova

GENUÆ MDCCXCII.

EXCUDEBAT JOANNES BAPTISTA CAFFARELLI
Superiorum auctoritate.

1711

1634
B10

F. Ant.
Misc.
Gen
A.
2.
10

Biblioteca Berio

SERENISSIMO

MICHAELI ANGELO CAMBLASIO

DUCI

SERENISSIMÆ REIPUBLICÆ GENUENSIS

L. A. LUPI J. C.

FELICITATEM.

Inter multa, & præclara a Majoribus nostris instituta, illud mihi, semper, SERENISSIME PRINCEPS, *speciali commendatione dignum visum fuit, quo factum, ut novus Reipublicæ*

Dux postridie quam purpurâ, & Coronâ Regali inter publicas acclamationes insignitus esset, manè unâ cum Serenissima Dominatione sacris solemnibus interesset, quasi summam, & difficillimam in Reipublicæ administratione partem a Deo Optimo Maximo auspicaturus; sub solis autem occasum Primores Civitatis ita exciperet convivio, ut lautas inter epulas, & compotationes, & varios sermones retineret ad multam noctem; quasi præ se ferens, quem communia vota supra reliquos Cives evexerint, unum esse cum iisdem benevolentiâ, & studiis, nihil nisi conjunctim, & conspirantibus plerorumque voluntatibus acturum, nihil, nisi quod tendat ad communem universorum salutem, felicitatem.

Religioso huic, sapientissimoque instituto illud etiam laudabiliter usus adjecit, quod olim inter epulandum apud Græcos, Romanosque in more fuisse legimus; (1) *ut nempè ad citharæ sonum illustrium virorum facta variè carminibus modularentur non sine eximiâ quadam audientium voluptate, & vero etiam commemoratione, & laude.*

(1) M. T. Ciceron Tusculan. I. 2. Alexandri ab Alexandro Genial. Dier. Lib. v. cap. 21. & ibi Tiraquell.

Quos veteres Poetæ fidibus canendo recitabant, typis nunc excusi novo Duci offeruntur versus, Convivæ arripiunt, lectitant, asportantque cum amicis communicaturi: unde fit, ut illustria virtutum omnium exempla, prædicatio, & laudes, ut ingenuarum artium, & studiorum quoddam veluti certamen, æmulationem inter Cives accendant, ingentesque animis injiciant stimulos ad recte agendum, & ad benè de Republica merendum.

Hoc cantionum, laudationumque tributum, tua nequidquam verecundia, SERENISSIME PRINCEPS, *deprecatur. Non solum id maximis tuis debetur in Rempublicam meritis, quod sanè sufficeret, ut optimæ consuetudini obtemperaremus, sed omnium præcipuè desideriis, atque utilitati; cui non consulere nefas esset.*

Quid enim ad vitia eradicanda, quid ad mores serendos, quid ad Civium animos formandos utilius Illius exemplo, quem omnes pro Capite, & Principe Reipublicæ haberi voluerint?

Præterea quædam est anticipatio felicitatis ex Principis anteactâ vitâ cognoscere, atque animo prævidere quæ, & quanta ab eodem imposterum speranda sint; quo fit ut laudando non va-

nitati blandiri, sed ejus vigilantiam excitare videamur, ut quam de se Cives conceperint expectationem, re, & factis pergat sustinere.

Sustinebis porrò, SERENISSIME CAMBLASI, *& vero etiam vinces: à prima enim juventute, postquam ingenii, & studiorum tuorum specimen in publico, & difficili scientiarum certamine Romanæ Civitati universæ dedisti, ita* TE *semper viventem suspeximus, ut in Prælatorum Albo admodum juvenem inscriptum nunc Ravennæ maximo cum imperio Romani Pontifices esse jusserint, nunc* TIBI *in Romæ Magistratibus difficillima negotia commiserint, & tandem Legatum ad Regem utriusque Siciliæ destinarint; ut illâ, atque alterâ legatione functus, & ad Cardinalitiam Dignitatem de more evectus, Sacræ Romanæ Ecclesiæ ornamento, & universo terrarum Orbi exemplo, & utilitati esse posses.*

Quid porrò commemorem quæ & quanta gesseris in illa temporum, locorum, atque officiorum diversitate, ut Romam finitimosque Populos annonæ caritate laborantes, frumento, de mandato Pontificis, aundecumque & sine morâ comparato, sublevaris; ut navigationi, commercio, civiumque numero augendo Ariminensem portum expurgari

curaveris; quam in publica tranquillitate procuranda, & a malis hominibus provinciâ liberandâ diligentiam præstiteris; ut integritatem, severitatemque in jure dicundo æquitate, & facilitate temperaris; quo patrocinio omnis generis opificia, artes, & liberalia studia semper complexus sis; ut omnes ubique benefactis, mansuetudine, humanitate, omniumque virtutum exemplis in tui admirationem rapueris, gratiâque, & benevolentiâ devinxeris sempiternâ?

Porrò si omnia persequar singillatim, jam non erit dicendi finis.

Id sanè speciali quadam commemoratione dignum videtur, quod quum præclarè gestis decorus, Summi Pontificis favore distinctus, & bonorum omnium amore, & desiderio fotus ita degeres Romæ, ut ibi vitæ tuæ sedem collocasse viderere, numquam discessurus, nisi ut gratior redires; vix TE *Familiæ, & Patriæ rationes, (optimis, & dilectissimis Fratribus perorantibus) persuaserunt Romam esse relinquendam, nullâ interjectâ morâ, Genuam convolasti.*

Quæ autem passus sis, quantumque doloris ille TIBI *discessus attulerit, non facile poterit judicare, nisi qui* TE, *& Romam, & convictus,*

& societates, & studia illa cognoscat, quæ Romæ potissimum efflorescunt, & quæ tantum diligebas, quantum ab illis probabaris.

Verum nihil TE *retinere potuit, Patriâ revocante; non artium, & studiorum oblectamenta, non Urbis majestas, & elegantia, non amicorum preces effusissimæ, non Pontificis ipsius invitationes perhonorificæ, non honorum denique, & ambitionis illecebræ: Omnia Patriæ vocibus, & desideriis postponenda esse duxisti.*

Talis igitur rediisti quales olim sapientissimi Philosophi, Legumque, & Rerumpublicarum celeberrimi Conditores; qui postquam juventutem degerant ubi maximè scientiarum omnium genera colebantur, & humaniorum Populorum instituta, sapientiumque Virorum præcepta, peregrinando investigarant, collegerantque; in Patriæ sinum, ac veluti portum se recipiebant, Patriæque utilitatibus, & felicitati pretiosum hunc exterarum mercium thesaurum dicabant, consecrabantque. Ita sapientiâ undique conquisitâ refertus, cui usus, & exercitatio prudentiam in rebus gerendis addiderat, moderationem, & facilitatem, TE *ita nobis reddidisti, ut experimento statim cognosceremus, tuam non minus absentiam profuisse Patriæ, quam esset præsentia profutura.*

TE *itaque Cives ad Majores Magistratus promovere festinarunt. Semel, atque iterum inter Patres sedisti, inde Ærario, & Triremibus cum aliis præfectus, tum criminibus coercendis, & tranquillitate tota Urbe, & Territorio Genuensi comparanda inter Inquisitores Status cooptatus; Supremâ tandem censurâ bis armatus es, ut Magistratuum Decretis, Sententiisque opportunè intercederes, infectumque redderes quidquid per leges fieri non oportuerat.*

In istis autem honorum gradibus, quibus sensim es auctus, ita TE *unicuique parem præstitisti, ut nihil tandem esset, quo tua virtus crescere posse videretur, nisi in honorum omnium fastigio constitueretur.*

Jam prope erat, ut Summæ Dignitatis biennium a Legibus præfinitum expiraret: in TE *omnes intueri; Te Ducem futurum designare; vereri ne omnium desideriis tua obesset verecundia; orare, & obtestari ut ne id solus nolles, quod omnes vellent; incusare denique quod vidua jamdiu per* TE *fuerit Respublica, & vero diutius futura esset, ni sententiam mutares: quam longa nobis cum virtute tua pugna! Vicimus tandem; atque ut* magnanimitas fuit expetitum sæpius honorem non ambire, ita modestia cedere.

quam redderes, & ab iis Legibus datam, ad quas sit revertendum.

Quomodò autem officia, & munia Principis exequeris universa? In id porrò toto animo, & cura, & cogitatione incumbis, ut quos tuæ fidei, potestatique Respublica commisit maximè diligas, & omni ratione tueare, & esse quam beatissimos velis.

Jam igitur inter omnes constat, facillimos esse aditus ad TE, patère aures tuas querelis omnium, nullius inopiam, ac solitudinem non modo illo populari accessu, ac tribunali, sed nec cubiculo quidem esse exclusam tuo; totâ denique administratione nihil acerbum esse, nihil durum, atque omnia plena lenitatis, mansuetudinis, humanitatis.

Præterea in præstantissimo illo, & maximè periculoso de omnibus tam publicis, quam privatis rebus ad Patres ferendi jure, quod vulgò Propositionis *vocant, qualem, quantumque* TE *geris?*

Nihil a TE *umquam propositum nisi prævià discussione, & meditatione probatum, nihil nisi quod fidelis scriptura antea receperit: deinde propositum ita urges, ut justa, bona, atque utilia Reipublicæ promovere, non vincere velle videare;*

ut sententiam mutare, si novæ id jusserint rationes, & legitimæ Patrum voluntati opinionem submittere tuam semper paratus sis. In omnibus autem rebus ostendis, id TIBI *maxime cordi esse, non ut plurima negotia, & quam citissimè expedias, sed ut benè.*

Porrò qui Princeps non videat modo, & velit quæ Reipublicæ prosint, sed etiam possit; Is facile præstabit quod omnes ab eo postulant, expectantque.

Cum autem non ea possis per leges, quæ velis, & nihil nisi certo suffragiorum numero decernere liceat, subinde accidat, necessè est, ut salutiferis consiliis multa sæpe sint impedimento.

Verum ea est tua virtus, & sapientia, ea temporum felicitas, tanta etiam Patrum de TE, *tuorumque consiliorum rectitudine judicia, ut una,* TE *præeunte, Senatus, & Comitiorum mens, una voluntas, una de Civium, & Patriæ dignitate, & commodis cura esse videatur.*

Neque verò solum Reipublicæ consulis cum in maximis, publicisque negotiis versaris, sed tunc maximè, quum sapientiæ Doctoribus faves, cum optima studia complecteris, cum inimicas vitiis artes in oculis, auribus habes, quum tandem

Certaminis diuturnitas auxit victoriæ pretium, Civiumque universorum lætitia atque exsultatio tanta fuit, quanta maxima esse potuit. Tu *verò in Honore amplissimo suscipiendo eâ tranquillitate fuisti, immò etiam securitate, ut eodem neque minor, neque oneratus appareres.*

Ita facto comperimus, tunc verissimè judicari, meruerit quis honorem, nec ne, quum adeptus est.

Quæ porro, & quanta sunt, quæ in optimo Duce requiruntur? In eo existat, necesse est, summa gravitas cum singulari comitate conjuncta, celeritas cum maturitate, cum docilitate constantia. Præterea scientiâ opus est in proponendo, integritas in decernendo, vigilantia in omni genere gubernationis. Hæc præstari non possunt nisi nulla in audiendo sit difficultas, nulla in respondendo mora, nisi statim excipiat, statim dimittat: *nisi ita assiduus, & diligens sit, ut* labore refici, ac reparari videatur. *Paucis, Principem oportet* velocissimi syderis more, omnia oculis propriis invisere, omnia audire, & undecumque invocatum, statim, veluti Numen, adesse, & assistere.

Ad hæc, non se solum, sed ministros etiam imperii, ac jurisdictionis suæ præstare debet, illos nempè in officio continere, nullam existimationis suæ partem committere, cavere ab insidiis tenebrionum, dies, noctesque quasi in excubiis agere pro universæ Reipublicæ salute, prosperitate, gloriâ.

Hæc, licet summa, & divina magis sint, quam humana, tamen ita complecteris universa, ut qualis esse debeas dicturus, vix dixerim qualis sis.

Quæ enim illa tua gravitas sententiarum? Quæ asseveratio in voce? Quanta in oculis, habitu, gestu, toto denique corpore majestas, & fides?

Deinde quo temperamento potestatem tuam, fortunamque moderaris? Dux *titulis, signis, satellitibus, habitatione, sede, omniumque in* Te *obsequio; cæterum modestiâ, labore, vigilantiâ* civis, tutor, pater.

Igitur cum nobis, quasi cum liberis parens, vivis: eosdem nos, eumdem Te putas: par omnibus, & hoc tantum cæteris major, quo melior: *ita verò semper gravitatem cum comitate conjungis, ut numquam oblivisci videaris munus illud, illamque dignitatem* Tibi *datam esse,*

Religionem sanctissimam summo studio, & amore prosequeris, sine qua nec virtus, nec sapientia nec felicitas, neque ulla omnino, nisi ferina, societas existere potest.

Infinitus essem, si quæ de TE *prædicari possunt, singula vellem recensere. Quid enim a* TE *publice, quid privatim actum, quod transilire oratione aut prætervehi liceat?* Quod momentum, quod immò temporis punctum aut beneficio sterile, aut vacuum laude? *Præterea quid ad humanitatem, benevolentiamque mutuam inter cives propagandam magis conferre potest* socialitate illa, & frequentia qua uteris in remissionibus ipsis tuis? Nonne semper TIBI in medio cibus, semperque mensa communis, ubi benigna invitatio, & joci liberales, & studiorum honor? *Nonne humanissime provocas, reddisque sermones ad multam noctem, ut nemo planè sit cum quo duriusculè agas,* TE *uno excepto, quem penè labore conficis, cuique necessaria sæpe subtrahis, ut nobis majora concedas?* Inde tibi parcus, & brevis somnus, nullumque amore nostri angustius tempus, quam quod sine nobis agis.

Quid loquar de liberalitate illa inexhausta, quâ nihil præstantius, nihil Reipublicæ utilius

existere potest; quaque CAMBLASIORUM *nomen totâ penè dixerim Italiâ, immò etiam bonâ Europæ parte jamdiu colitur, & veneratur?*

Nemo ignorat quæ, & quanta optimè de Republicâ merita Familia impenderit, præstiteritque ad omnis generis commercia amplificanda, & ad itinerum publicorum securitatem, & amplitudinem procurandam: sub omnium oculis versantur pontes instaurati, & immensæ moles torrentibus exæstuantibus objectæ, quibus factum, ut ubi olim fluctus, & sterilitas dominabantur, nunc uberrimi colantur agri, & tutissimâ viâ (1) *incedi possit.*

Nemo ignorat profusas largitiones, nemo periodicas victualium distributiones, quibus inopum fames propulsatur, matrimonia multiplicantur, infortuniis simul, & vitiis occurritur universis?

---

(1) De nobilissimâ hac viâ quæ secundo ab Urbe Genua lapide versus oram Occidentalem occurrit, & per octo circiter milliaria protenditur, sequens extat Epigramma jamdiu conscriptum ab erudito viro Antonio Crispi Lusitano:

Quâ via nunc teritur valido tutissima muro,
Fultaque substructis pontibus, amnis erat:
Quâque prius cautes præruptaque saxa negabant
Ferre pedem, rapidis nunc licet ire rotis.
CAMBLASIDUM Soboles tribus hinc, inde inclyta binis
Fratribus immenso par fuit una Operi.

Magna hæc quidem sunt, sed admirationi esse magis, quam exemplo possunt.

Illud verò imitatione dignum, quod cum ingens pecunia beneficentissimæ Familiæ semper fuerit in nominibus, nullus unquam debitor ita est excussus, ut fame laboraret, nullus libertate privatus, aut corpore luere coactus, quod non habuerit in ære.

Quid plura? Non solum exemplo, Serenissime Princeps, *Civibus præire satagis, sed alios etiam favore, & præmiis accendere ad virtutes; & si quid a quoquam moliatur, aut proponatur novi, quod Reipublicæ aliquam afferre possit commoditatem, vel ornamentum, continuò laudare, adprobare, omni ope, atque opere obniti, ut quod feliciter est conceptum, utiliter perficiatur.*

In tantis autem fortunis, exemplis, hominum opinionibus, immò etiam honoribus, quanta tua in omnibus rebus moderatio, & verecundia! Quæ in ipsa liberalitate ratio! Ambitio enim & jactantia, & effusio, & quidvis potius quam liberalitas existimanda est, cui ratio non constat.

Tandem qui pudor, quæ continentia in his omnibus, qui tecum sunt! Qui delectus in familiaritatibus! Quæ Familiæ universæ virtus, quæ disciplina!

Nulla dicam de ornatissima, atque amabilissima Matrona, *quam* Tibi *sociam vitæ adjunxisti: tanta enim sunt quæ de Ea prædicari deberent, ut reverentius fuerit integra, illibataque cogitationibus, & admirationi Civium reservare, quam carptim, breviterque perstringere oratione.*

Nulla dicam de Fratribus, *cum quibus unus tibi veluti spiritus, una voluntas, quibusque præcipuè debemus, quod Genuæ degas, & summo in honore constitutus Reipublicæ præsis universæ: hos enim ut participes habes laborum, virtutumque omnium, ita communem oportet habere laudem, nominisque immortalitatem. Neque sane, si vagari latius liceret, egregiorum* Juvenum *obliviscerer, in quibus magna Nobilissimæ Familiæ, & vero etiam Patriæ reposita est spes; quorumque indoles, ingenia, laudabilesque in primâ ipsâ adolescentiâ mores & studia jam aperte prænuntiant, Majorum famam, & generis claritatem meritis illos propriis esse superaturos, vel certe, sine ullâ diminutione, conservaturos.*

Perge itaque, Serenissime Princeps *& tecum ipse cogita non* Te *» de reliquâ, & speratâ » gloriâ jam laborare, sed de partâ dimicare, quæ*

» *non tam expetenda sit, quam tuenda: Si quid*
» *autem est adhuc assequendum, quod ad laudem*
» *attineat, tuæ summæ prudentiæ tantus usus*
» *accessit, ut statim perspicias, Tibique, sine cu-*
» *jusquam hortatione, quotidie veniat in men-*
» *tem. Non enim cum aliis, sed tecum jam cer-*
» *tandum; & quoniam theatrum tuis virtutibus*
» *est datum celebritate refertissimum, magnitudine*
» *amplissimum, judicio exquisitissimum, conten-*
» *dendum sanè est, atque elaborandum, ut non*
» *modò his rebus dignum fuisse, sed etiam ut*
» *illa omnia tuis artibus superasse videare.*

Superabis autem; & Legislatorem, Magistratum, Judicem *ita* TE *præstabis, ut quæ de iisdem in Libello continentur, quem amplissimo nomini tuo inscribere ausus sum,* TIBI *omnia convenire, & de* TE *quodammodò scripta fuisse judicentur.*

DEUM OPTIMUM MAXIMUM *enixe precor,* SERENISSIME PRINCEPS, *ut* TE *Familiæ, Patriæ, Bonisque omnibus quam diutissime incolumem servet. Vale.*

DE OPTIMA CONDENDI, INTERPRETANDI, DICUNDIQUE JURIS RATIONE

LIBER SINGULARIS.

NON dubito quin plerosque mirari subeat, me, post tot tantosque summorum Virorum labores, aliquid de Legibus commentari in animum induxisse. Erunt fortasse qui levitati id tribuant, vel etiam temeritati. Ego verò qui Civium, & præsertim bonorum judicium, ut magni in omnibus rebus faciendum existimo, ita quammaximè vereor, ingenuè fatebor, duo me ad hunc libellum conscribendum præcipuè impulisse: primum ut optimi Legumlatoris, Jurisconsulti, atque Judicis imaginem in brevi veluti tabella adumbratam Lectori ante oculos sisterem, redderemque quodammodò familiarem; quod sanè & novitiis Jurisconsultis utile, & eis etiam qui majoribus Jurisprudentiæ sacris initiati sunt, non injucundum futurum speravi; deinde ut illis studiorum meo-

rum constaret ratio, penes quos, ad communem Reipublicæ utilitatem, mei esse volo, omniumque vigiliarum mearum arbitrium.

Quibus si illud quoque accesserit, ut inimicorum Jurisprudentiæ conatus retundam, & Philosophorum animos cum Legum studiis conciliem, operam me inutiliter haud collocasse meam arbitrabor.

An id, quod animo intendi, verbis assecutus sim, nescio. Verum ne confidenter cum Lectoribus egisse videar, id sanè audeam asserere, me nihil omisisse ut assequerer: etenim quæ sequuntur partim a viris sapientibus jampridem proposita fuerunt, partim assidua peperit meditatio, omnia verò ab amicis, quibuscum una sæpius communicavi, correcta, expolita, & tandem sunt adprobata; utrum id jure, an assentatoriè factum, aliorum esto judicium. Utcumque res cedat, spero fore, ut si quid offensum sit in hoc tenui libello indulgentiam verecundia deprecetur, brevitas obtineat.

§. I.

LEGISLATOR.

Serendi mores, non omnia Legibus sancienda.
Cic. de Leg. lib. 1: §. 2.

Non ego hîc præceptis, regulisque uberiori oratione tradendis tempus insumam: sed Judicis personam indutus, optimi Legumlatoris speciem repræsentare conabor, quod in eximio libro ad M. Brutum de Oratore adgressus est Cicero, & vero præstitit.

I. Ad illud itaque, ante omnia, mihi pro se quisque acriter intendat animum: quæ fuerint olim, a quibus, & quamobrem conditæ Leges. Postea unde Legum ipsarum oriatur necessitas, quæ earumdem natura, & vis esse debeat, quibusque adminiculis sociandæ sint, & juvandæ, ut Reipublicæ præstent incolumitatem, & ad veram virtutem, felicitatemque cives alliciant, atque perducant.

II. Ferarum Gentium ea est indoles, ubi maximè obbrutuerint, non, nisi sensibus, ad agendum impelli, supra ea, quæ in sensus incurrunt, numquam attolli, quæ conservationi corporis inserviunt, ea solum curare, neque præterea, belluarum more, præteritis tangi, neve futura prospicere; ut idcircò nudam hominis speciem præ se ferant, cætera animantibus comparentur (1). Cum autem quæ ad vitæ sustentationem necessaria sunt, parcè admodum per se, sine culturâ, suppetat tellus, atque ideò venatione paranda sint; vix proprii corporis necessitatibus sufficere homines possunt, immò ob prædæ paucitatem, frequentesque in saltibus concursus, subinde accidat, necessè est, ut in se mutuò arma convertant, se seque vicissim internecinis bellis conficiant. Quem in finem vix credibile est quos injiciat stimulos, spiritusque efferata, immanisque continuâ effusione sanguinis natura.

III. Quæ cum ita sint, rationem omnem, & intelligentiæ usum exuere tum homines credendi sunt, Religionis juxta, atque humanitatis fieri incapaces, & ut viribus sunt, atque auctoritate pares, ita legum omninò, & societatis esse impatientes.

(1) Cicer. de Invent. lib. 1. §. 2.

IV. Quomodò verò ab hoc ferino errore, & exlegi vivendi genere ad civilem vitam primum allecti sint, humanosque mores sensim induerint homines, difficillimum, ac penè impossibile est invenire. Seu dixeris Religionis, vel potius superstitionis sensu percitos in speluncis se se abdidisse, ibique cum certis fœminis certorum liberorum procreationi studuisse, unde imperium familiare ortum, ex quo paulatim emanarit civile primum Optimatum, deinde Populi universi, & denique Unius (1); sive a paucorum usurpatione, & tyrannide, venatorum nempè in agricolas, societatis initia deduxeris (2); sive demum operâ humaniorum, & sapientiorum hominum, qui numquam existere desierunt, mansuefactos sæpius illos, quos diximus, efferatos autumes (3); in magno haud equidem ego ponam discrimine; dum in universum de his, quæ sum dicturus, mecum consenseris circa legum omnium humanarum origines, & progressus.

V. Quod sanè de antiquissimis Legibus apud omnes nationes affirmare ausim, illud est; numquam eas fuisse vel consilio, & prudentiâ sapientiorum virorum inventas, & excogitatas, vel seniorum auctoritate conceptas, vel palam, solemniterque populo propositas, & adprobatas; sed paullatim, usu exigente, & humanis necessitatibus, factis primum, & exemplis singularibus jura

(1) Ita opinatur Vicus in egregio Opere, cui titulus: *Principj di Scienza nuova*.

(2) Vide sis Linguet in libro inscripto: *Théorie des Loix Civiles, ou Principes fondamentaux de la Société*.

(3) Cicero in laudato libro de Inventione §. 2.

omnia constitisse, ex quibus deinde mores invaluerunt. Hi verò mores sive ut facilius memoriæ mandarentur, seu fortuitò potius, rudiores enim gentes, & nondum satis societate subactæ poetice loquuntur, versibus expressi sunt, scripturâque inventâ tabulis alicubi consignati; alibi verò ex prisca consuetudine juvenes illa addiscere carmina a pueritia assueti: quæ omnia statis quibusdam diebus, vel solemnitatibus recurrentibus recitata, seu potius modulata, facilius in animis insculpta sunt, & ad posteros dimanarunt.

VI. Hanc consuetudinem non solum apud veteres omnes populos videre est, de quibus ad nos usque notitia quædam pervenit; sed apud barbaros etiamnum in Africæ, Americæque litoribus, & Continenti existentes, vel Balthici, Oceanique insulis degentes ivenerunt plerique, qui in illis Mundi oris peregrinati sunt.

VII. Sunt qui Leges ipsas XII. Tabularum versibus inclusas fuisse a Decemviris autumant, carminumque reliquias in pauculis, quæ supersunt, earumdem fragmentis, se putant invenire. Nos verò, si ex his tamtummodò litem decidere oporteret, neque Leges XII. Tabularum, neque Saliorum ipsorum adeò decantata carmina versibus expressa fuisse putamus; utrorumque enim fragmenta, nostrarum aurium judicio, æquè a poetica mensura distare videntur.

VIII. Verum quibuscumque demum, & quomodocumque cadentibus verbis conclusæ primitus fuerint Leges, quod in præsentia haud vacat definire; hanc unam earum fuisse vim, & naturam, veterum populorum annales, atque omnimoda rerum humanarum experientia

consentiunt ; ut videlicet rerum divisionem, juriumque inæqualitatem, quam inter homines aut occupatio, aut potius usurpatio viribus tantum fulta, introduxerat, nullâ habitâ justitiæ ratione, confirmarent, sanctionibus munirent, ab eisque quoquo modo imposterum intervertendis Cives deterrerent.

IX. Illud autem potissimum commodi, atque utilitatis ex societatis inventione effluxit, ut bellis sensim intermittendis emollirentur mores, ut armorum vice, obsequio, & clientelis ditiores, & potentiores ad humanitatis officia flecterentur, ut demum homines inopiâ laborantes vitæ necessaria, non sanguine humano, ut olim, effundendo, parare, sed labore, & industriâ, quorum barbari impatientes sunt (1), acquirere assuescerent.

X. Hoc verò maximè secum reputent societatis hostes, velim, eâ tum demum nobiliori valere suorum parte homines cœpisse, quâ propriè homines sunt, & a brutis animantibus secernuntur; ratione inquam, & intelligentiâ; quæ ut in ferino illo, palanti, violentoque vitæ genere tantum non obruta languescebat, ita societatis otio fota quodammodò, corporisque necessitatibus attrita, atque experrecta, Civium exemplis exagitata, præmiorumque blandè illecebris enutrita, efflorescere primum visa est, atque uberrimos deinde artium, scientiarum, & disciplinarum omnium fructus emittere in lucem.

Hinc ex præteritorum experientia præcepta desumpta honestè, beatèque vivendi, futuris animo prævidendis, præsentia moderari cœpta sunt; finisque demum aliquis bonorum, atque malorum inventus.

(1) Tacitus de Morib. German.

XI. At enim pestiferum illud φιλαυτίας venenum, seu ad propria cujusque commoda, & cupiditates omnia referendi, subjiciendique, conatus, qui depravatis omnium hominum animis primus exoritur, perpetuò insidet & moritur extremus; illud, inquam, venenum bona hæc Civitatum inficit universa, & in totidem convertit humani generis calamitates.

XII. Nonne illa ipsa est ratio societate exculta, & ad maturum quemdam vigorem perducta, quæ paucorum dominatui, seu potius libidini subjicit universos; quæ legibus tamquam militi auxiliario, domi Cives in servitutem redigit perpetuam, bellisque ultrò, atque injuriâ ubique terrarum inferendis, ubi solitudinem fecerit, pacem appellat; quæ boni publici obtentu malorum omnium cohortem ab inferis evocat, annonâ frumentum, tributis bona fortunasque, ipsamque delectu plerorumque vitam destruit, abripit, pessundat; quæ ex virtutibus nihil, nisi honestatis larvam relinquit, atque, alia ex aliis nectendo, vitia multiplicat in immensum; quæ demum licentiæ, atque ἀναρχία servitute, pejori longè remedio, medetur, ignorantiam erroribus, & superstitionem propulsat ἀθεότητι?

XIII. Non ego sanè ille sum, qui aut civitatum corruptarum ulcera dissimulando exasperem, aut expolitam quamlibet flagitiosorum hominum contra bonos conjurationem rudi, atque exlegi barbarorum vitæ anteponendam mentiar. Hoc verò tantum pro virili tuear, non leges, non hominum inter se conspirantium consensionem, non illam veluti divinæ particulam auræ caussas esse malorum, quæ in Civitates incubuerunt; sed illum ipsum,

quem dixeramus, φιλαυτίας conatum, qui ex pravis inclinationibus cum ignorantia conjunctis progignitur, omniumque abutitur, & in exitium convertit, quæ saluti maximè, felicitatique hominum a Deo Optimo Maximo inventa sunt.

XIV. Quamobrem si Civitatum diligenter incunabula introspexeris, incrementa, & conversiones; vicissitudinum omnium scaturigines in animo ipso humano, rerumque circumstantium natura, & varietate animadvertes; facilique inde negotio cujusque Reipublicæ, legum, & magistratuum, rerum denique vel domi, vel belli gestarum origines, rationesque apprimè cognosces.

XV. Conati subinde sunt, qui sibi sapientes videbantur, se supra cæteros mortales attollere; posteaque veluti cum Superis conversati, divinoque Numine afflati, Leges se divinitus accepisse effinxerunt, crediderunt sæpè fortasse, quæ illorum erat temporum incredibilis imaginandi vis; atque ita, felici impostura, sua Civibus aliquandò commenta probarunt; ut plurimum verò quibusdam admirationi, cæteris contemptui fuerunt eorum deliramenta.

XVI. Duplex verò distingui potest veterum illorum Legumlatorum genus. Vel enim, ut civili quadam prudentia, rerumque experientia reliquis antecellerent, eodem tamen cum cæteris Civibus vivendi genere utebantur, in publicis Reipublicæ negotiis versabantur, summæque rerum præerant. Et hi sunt antiquissimi apud omnes Nationes, veluti Minosses apud Cretenses, apud Lacedæmonios Lycurgus, Numa verò apud Romanos. Vel habitu, moribus, vitâ a reliquis differente totos se con-

templationi, vel Philosophiæ, quam vocant, dedidère; atque ut universo humano Generi censores, ita se Civitatum magistros, ac præceptores præbuerunt.

XVII. Porrò dum primi veteres consuetudines novis sanctionibus corroborant, aut externas, ipsi quoque extranei invehunt in Civitatem, non reformandis moribus, hominibusve quomodolibet in integrum restituendis incubuisse dicendi sunt, sed vitiorum, & corruptelarum labilem, fluxamque naturam constanter ad unum finem flectendo, artifices, negotiatores, nautas, milites, latrones publicos efformasse, prout sua quemque Legumlatorem impulit natura.

XVIII. Philosophi verò a rerum usu remoti, & assiduis cogitationibus abstracti, optimum quemdam Reipublicæ statum sibi visi sunt invenisse. Et nescio an singulari in Cives amore, an potius vanitate adducti, propria inventa literis consignarunt, inani fortasse spe illusi, fore ut aliquandò genus humanum resipisceret, & eorum consiliis uterentur Populorum Principes, Rectoresque Civitatum. Verum, ut aliqua utilia proposuerint, quod nolim diffiteri; in eo tamen graviter peccarunt, quod Legumlatorum personam sumentes, diversis populorum ingeniis parum studuerunt, & moribus, consuetudinibusque olim inolitis tantisper connivere omninò detrectarunt. Unde evenit, ut vix legentium curiositati satisfecerint, cæterum publicè inutilis vel etiam exitialis beatorum horum otiosa fuerit sapientia.

XIX. Illud denique utrisque vitio maximè vertendum, quod, itinerum ipsi ignari, aliis præire ausi sint; felicitatisque acquirendæ præcepta tradiderint, quam, ex-

pertes ipsi, neque ubi terrarum consisteret, norant, neque quibus artibus esset assequenda. Atque ita res humanæ cæco quodam impetu (1) ferri; viribus, astu, conjurationibus, luxuria, discordiis, vitiorum omnium ingruente colluvie regna condi, augeri, converti, corrumpi, dissolvi: hominesque omnigenis jactatos miseriis aliâ post aliam calamitatum procellâ obrui, tandemque super incumbenti malorum omnium mole absorberi.

XX. Miretur profectò quispiam, quid hæc ad leges pertineant, quæ de bonis, fortunisque statuunt, eaque solum vindicant crimina, quæ Reipublicæ lædunt tranquillitatem. Brevi hujus vitæ curriculo, submurmurant novitii hujus ævi Philosophi, circumscribitur Legumlatoris officium, neque tam veritatem, virtutem, felicitatem, quam opinionem spectare debet, utilitatem, eamque præsentem, totiusque Reipublicæ incolumitatem. Libertatis, dominiique perpetua cuique Civi conservatio, est veluti basis, ac fundamentum, cui Civitatis cujusque innititur ædificium. In hunc finem conditæ leges, creati Magistratus, inventa supplicia, illata, atque suscepta bella, decretæ legationes, inita fœdera, Societas ipsa demum Dei Optimi Maximi beneficio inter homines constabilita.

XXI. Summo huic Rerumpublicarum fini si aliquid addas, pergunt, omnia misceas, atque optimi obtentu mala ingeras universa. Animorum medicinam veritati retegendæ, instillandæque virtuti præ se ferre, hominem-

(1) Si spectes hominum judicia & desideria, non si Dei Optimi Maximi providentiam, a quo omnia pendent, & qui summa cum sapientia mundum hunc regit universum.

que non bonum civem, efficere velle, sed sapientem è σοφόν, est malè feriatorum hominum commentum, qui sibi superbè juxta, atque crudeliter, ea, Religionis specie, vindicant, quæ cujuscumque conscientiæ sunt permittenda.

XXII. Ex his veluti scientiæ primordiis, mirum sanè quas inconditas eruere sibi visi sint veritates, quæ rerum juxta naturæ, atque omnium temporum, ac populorum historiæ repugnant.

Hinc nullam penè Religionis curam gerere oportere Reipublicæ Moderatores, & quam quisque de Superis, deque animi humani natura foveat opinionem, insuper habere; disserendi, scribendique in utramque partem de quibuscumque rebus jus esse cuique de plebe, hanc quippe unam eruendæ veritatis viam datam hominibus, quæ adhuc in puteo Democriti delitescat. De moribus verò aut nulla censura, aut quæ soli, atquæ aeris temperiem sequatur, vel quæ priscis populorum consuetudinibus conveniat, rerumque publicarum rationibus non adversetur.

XXIII. Nil propterea constans, nil uniforme, nil sui usquam simile reperias. Hic varias Civitatum formas, & quomodò unaquæque oriatur, quibusque constet artibus, scrutatur: defectus subinde & vitia cujusque prosequitur, atque humani generis calamitatibus aut ignoranter connivendo, aut ridendo crudeliter, insultat potius quam medetur.

XXIV. Sunt qui rerum omnium humanarum ignari, perfectam comminiscuntur inter homines æqualitatem, & Legislatorum, Magistratuumque, qui jam in societate existunt, osores, nihil nisi omnium omninò suffragiis de

Republica statui patiuntur. Atque ita dum homines supra hominum naturam attollere velle videntur, tandem, desperatione adacti, ad bruta deprimunt animantia.

XXV. Illè verò se omnium ostendisse πολιτικώτατον hodiè arbitratur, qui terræ magis, artium, operumque omnium culturam commendet, qui tertio quoque verbo longinquas navigationes, atque omnis generis crepet commercia; & dum libertatis, humanitatisque *inania* (1) vocabula millies, & ad nauseam Lectorum auribus ingesserit, se tum verè humani generis restauratorem salutandum pro sua auctoritate decernit.

XXVI. Nonnulli etiam, superiorum naufragio cautiores, mediam inire viam maluerunt, nimiam veterum prudentiam felici aliquandò novorum temeritate temperantes. Societatis idcircò, & Religionis, quam ipsi vocant, naturalis, essentiam, atque utilitatem indissolubili nexu glutinari posuerunt; quod prætereà spectat ad quædam peculiaria dogmata, quæ vera licet, ac saluberrima, non solâ rationis disciplinâ, sed ipso docente Numine, hominibus innotescunt; fœdus quoddam iniri posse inter istorum asseclas, & Reipublicæ Principes, quo Collegium, seu mavis Ecclesia constituatur, penes quam jus sit Religionibus rudiorum animos imbuendi, & lenis, blandaque morum ad Civitatis felicitatem censura; dum ne cæteri opiniones suas ferro, ignique ejurare adigan-

(1) *Inania* immo etiam *odiosa*, si quis, ut fieri solet, erroribus propinandis, abutatur; re tamen ipsa nihil est in terris præstantius *libertate*, nihil divinius mutua hominum inter se *benevolentia*.

tur, immò, muneribus publicis solummodò exceptis, communi cum aliis Civibus jure censeantur.

Hæc sanè sententia (1) quandam veritatis speciem habet, in quam sicuti diligentius animadvertere non vacat, ita neque refellere, neque probare in animo est.

XXVII. Quoniam autem, ut illuc redeam, unde mea tantisper deflexit oratio, non, quem doceam, Legumlatorem quæro, sed quem probem; non larvis seorsum delendis, sed optimi imagine depingendâ, veritatem vindicabo, qua, ut tenebræ, sole oriente, errores evanescent universi.

Legumlatorem igitur probabo primùm eum, qui quid verum, justumque in omni re sit, videbit; deinde quid deceat. Hæc enim sapientia maximè adhibenda Civitatum est gubernatori, ut sit temporum, personarumque moderator.

XXVIII. In eo est hominis a belluis positum discrimen, ut in agendo non solo instinctu, non impetu quodam cæco feratur, sed ratione dirigatur; ut videlicet felicitate sibi, tamquam fine, propositâ, cum eâ eligat congruentia, adverseturque contraria.

XXIX. Hoc verò differunt a stulto sapiens, a malo bonus, quod ille, incompositis animi motibus abreptus, falsâ veri specie illuditur, maximamque pro beatitudine infelicitatem insectatur; bonus autem hominis naturâ probè perspecta, secundum eamdem vitæ cursum dirigit, & ad unam veritatis normam ut opiniones, ita affectus

(1) Hanc Sententiam tuetur Dr. Warburton in Opere Anglice inscripto; *The Alliance between Church and State &c.*

omnes componit. Ambo compotes rationis: verum adulando servit in primo, monendo dominatur in secundo.

XXX. Jam verò neminem ad aliena curanda, qui suis nesciat providere, idoneum fore, in comperto est. Quamobrem ut, ad virtutem, felicitatemque sibimet ipsi parandam, non illud in universum nosse sufficit, quæ virtus, quæ felicitas sit; sed vitiorum omnium caussas, effectus, remedia, ut caveas, inhorrescas in antecessum, & medearis ex post facto; virtutumque omnium probè introspexisse naturam oportet, officia, & consequentia, ut blandè ad eas inclinetur voluntas, divinoque earumdem adspectu suavissima perfundatur voluptate; ita ad justum societatis regimen, quid ingenii cujuscumque homines ad agendum impellat, necessè est didicisse, ut quibus rebus a flagitiis, & criminibus paulatim cives avertuntur, uti opportunè possis, & honestatis deinde leniter animis amorem instillare; quod optimum est, & tutissimum justitiæ, & publicæ tranquillitatis munimentum.

XXXI. Quæ cum ita sint, ille mihi semper componendis Civitatibus natus, formandisque ad virtutem hominibus visus est, qui universalem Dei Optimi Maximi in regendo humano genere providentiam contemplatus, imitatusque, Societatem, Rempublicamve, cui præest, quoddam veluti indivisibile corpus considerat, & partibus ita consulit singulis, ut ad totius salutem corporis oculos, animumque potissimum intendat.

XXXII. Verum eodem penè modo quo singulorum hominum vita in ætates distribuitur diversas, infantiam, pueritiam, adolescentiam, virilitatem, senectutem, quarum unicuique propria indoles, & natura; ita in mul-

torum hominum Societatibus usuvenire ratio docet, omniumque temporum experientia demonstrat. Quamobrem non secus atque optimi parentes in educandis filiis, Populorum potius Pater, quam Dominus, Civium, ac Subditorum cum ingenio, tum maturitati disciplinam accommodare satagit. Ex brutis primum homines efficere conatur, tum Cives ex hominibus, ex Civibus denique bonos, sapientes, beatos. Illud porrò præcipuè animo reputandum, non materiæ machinamentis homines comparari, neve præterea commutari, destrui, & velut ex integro effingi quomodo velis, aut impulsu quodam violento trudi quo lubeat, tamquam ad artificis nutum. Sua constat peculiaris humano generi, & quidem maximè invia, & præstantissima natura. Ea verò non latet, quem quærimus, Legumlatorem; atque idcircò quamquam majoribus sapientiæ sacris initiatus, non continuo cum profanis Mysteria omnia censet esse communicanda; sed probè perpendit quid quæque Civitas ferre queat, quid pati recuset.

XXXIII. Cum efferatis res est, & qui nihil non armis vindicant, & parant? Horum ut nulla futuri providentia, sic nullus pœnarum, ac suppliciorum timor: adde quod res illis familiaris, mors, & nulla tanta auctoritas, quæ pœnas hominibus adeò viribus valentibus constanter possit irrogare (1). Eâ de caussa vix aliquis legum superest usus.

(1) De his dici possunt quæ de Achille Horat. in Arte Poet.

Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,
Jura negat sibi nata, nihil non arrogat armis.

Sensibus penè solis horum vita circumscribitur; sensibus itaque, & quibus rebus maximè sensus percelluntur omnia tentanda. Procellosi animorum fluctus, adverso undarum æstu, ventorum afflatu, vel opposita sæpè rupe sistendi, & retrorsum flectendi. Paucis: exempla exemplis delenda, & moribus vincendi mores.

XXXIV. Saluberrimæ verò hujusce artis illuc summa redit: ut per feralium intervalla, ac veluti spiramenta commotionum, jucundas maximè res eorum sensibus objicias, atque ita sensim permulceas, & innoxiis voluptatibus assuefaciendo crudeles animos flectas, & ad humanitatis sensus emollias (1); ut cupiditates cupiditatibus committas, & pacificis indulgendo, mortiferas compescas; ut denique, ingruente procellâ, candente, & reboante tonitribus Cælo, monstrove, aut portento alio se in adspectum dante, occasionem nactus, supremi, terribilis, & longè supra hominum vires potentis Numinis ideam attonitis mentibus ingeras. Unde Religionibus, templis, festis, omnigenoque sacrarum cæremoniarum apparatu, animos vincias, & quocumque volueris impellas, convertasque; voles autem non nisi ad virtutem, & ad felicilatem.

XXXV. Hinc Poetices, & Musices usus, hinc mira ludorum, & spectaculorum omnium elucescit utilitas: neque aliqua neganda priscis Legumlatoribus sapientia, qui his omnibus, quamquam malè, nec ad quem debue-

(1) Huc maxime confert Liberalium Artium studium, de quibus vere cecinit Poeta:

. . . . *Ingenuas didicisse fideliter artes*
Emollit mores, nec sinit esse feros.

rant finem, usi tamen sunt, nec sine quodam emolumento.

XXXVI. Hoc sanè quodcumque animo destinabis, longè facilius assequeris, si præclaris, & ingentibus factis Populum reverentiâ, & admiratione erga te perfundes, omniumque tibi, benefactis, benevolentiam conciliabis. Nihil a te nisi magnum, & salutare vulgo ominabuntur; alacriter proinde, & in spem bonam erecti capessent jussa, & exequentur consilia.

XXXVII. Quod aliquandò adeptus, numquam interquiescet optimus Princeps: ac veluti navis gubernator, qui in Cæli temperie, & nubium dispositione, ventorum vim, & maris agitationem prospicit, & antevertit, tum circumstantium scopulorum, insularum, litorumque naturam investigando, pericula vitat, & ad syderum demonstrationem indesinenter cursum temperat; ita rerum civilium vicissitudines contemplabitur, morum, & opinionum mutationes, earumque caussas, cum finitimis, remotisque Gentibus communicationem, & ideò peregrinarum Religionum, artium, cupiditatum appulsum, omnia denique Populi in quibuscumque rebus incrementa, conversiones, inclinationes.

XXXVIII. Neque contemplabitur solum, sed utilia promovebit; noxiis intercludet viam, promiscua limitibus coercebit. Legibus verò solemniter conscribendis, publicandisve tum locus erit, cum boni jam inter plerosque inoleverint mores, rectæque de vitiis, deque virtutibus jam multitudinis animis inhæserint opiniones. Hoc namque Legumlatoribus præcipuè cavendum, ne quid umquam publicè statuere moliantur, nisi plerorumque reverentiâ,

atque adprobatione exceptum iri certò sciverint: ut nempè Leges communis sint quædam veluti expressio voluntatis, qua universi Cives, non suffragio aut tabulis, quod fieri sæpe nec potest, nec debet, sed tacitâ & obsequenti animorum conspiratione & concordiâ, se aliquid facturos promittunt, vel omissuros, & in certam violatarum Legum pœnam consentiunt.

XXXIX. Si te aliter gesseris, horum alterum eveniat, necessè est: vel ut timore, & violentia obtinere pergas, quod sponte nequeas, si tamen viribus antecellis; vel ut impunè violatarum Legum vis omnis elanguescat, teque serò imprudentiæ pœniteat tuæ. Quorum illud naturæ, & dignitati hominum adversatur omninò, animos spoliat ingenito vigore, laqueos injicit conscientiis, mutuam erga membra Societatis confidentiam evertit, atque homines ad pecudum classem redigit; hoc verò totam solvit, & corrumpit, nedum justitiæ, & legumlationis, sed Societatis ejusdem compagem, cives freni cujuslibet efficit impatientes, ut solo dominationis nomini inhorrescentes, licentiam præoptent, mutuò digladientur, civilibus se bellis conficiant, & ultima ferarum gentium mala tandem patiantur.

XL. Mitto exempla tum vetera, tum nova, quæ facile in memoriam revocare; quæque potentius, quibus oportet, persuadebunt, aliam esse brutorum animantium, aliam hominum curam. Cum igitur jam ad quamdam maturitatem Cives, subditive pervenerint, leges ferre decebit, dum illud semper, ut diximus, præ oculis habeas; ut justa jubeas, ad veritatis videlicet normam exacta, deinde ut opportuna, ad tempora nempè, & personas convenientia.

XLI. Ut justa decernas, numquam uni tibi te fidere necesse est; verum de quacumque re jura dicenda sint, sapientissimi, & qui in eâdem maximè valeant viri in consilim sæpius adhibendi: ut opportuna, Populi, quæ in præsentia tenent, opiniones, consuetudines, studia perquam diligentissimè perscrutanda. Ita ea quæ speranda sint certò scies, antequam te in incertam periculi aleam committas. In civilibus enim rebus non tam sæpè, quid statuas, spectandum est, quam quomodò. Mille porrò in animorum penetralia sunt viæ, & summa rei in hoc sita est, qua quemque tentes; cæteris aut aditum præbebunt difficillimum, aut inaccessi penitus erunt.

XLII. Verum ut ad particularia tantisper descendamus; tria in Legibus præcipuè attendi possunt, quibus de rebus, quo modo, & quibus verbis sint concipiendæ.

XLIII. Illa Legum est virtus, seu mavis, finis: ut Civitatis formam, & Magistratuum omnium officia, justitiæ nempè administrandæ rationem præscribant, quod juris publici nomine solet censeri; præterea ut fide in contractibus sancienda, præcipitantiæ occurrant, imbecillitatem sustentent, amoveant fraudes; demum ut bonos mores alant, & tranquillitatem universorum, felicitatemque promoveant, pœnis in improbos infligendis, quæ cujusque criminis, flagitiive naturam sequantur, ac veluti de corpore sano corrupta membra amputando, mortem avertant.

XLIV. Quare Leges sunt instar remediorum, quibus tunc solum utendum cum adversâ obsideris valetudine; dum eò tamen res nondum processerit, ut totum quantum est corpus, vis morbi occupaverit, nullaque spes

jam effulgeat salutis; etenim neque mala tam poteris pati, neque remedia; & reliquum quod decretis vitæ, naturæ conversionibus, seu potius Superum consilio erit relinquendum.

XLV. Numerus itaque Legum, quibus advocatos, judices, juris dicendi modum adjunxeris, a simplicitate, vel infectione morum definiendus. Nullæ apud barbaros, nullæ apud flagitiosos vel ignorantiâ, vel violatione Leges, quia ferre non possunt; nullæ apud bonos, quia non egent, plusque ibi boni mores valent, quam alibi bonæ leges.

LXVI. Patet inde quibus de rebus eæ sint condendæ: ubi enim metus est ne intumescentis fluminis æstus ripam effodiat, ibi agger opponendus, ut intra alveum contineatur. Proinde si de Reipublicæ statu stabiliendo agatur, populorum indoles maximè spectanda, tum imperii fines, veterum consuetudinum natura, & rerum ante actarum series; atque illa demum regiminis seligenda forma, quæ præsenti omnium utilitati potissimum conveniat, non quæ otiosorum sapientium suffragiis optima judicetur.

XLVII. Quod verò attinet ad obligationes legitimas definiendas, actiones explicandas quibus sua quisque assequatur, jusque universum dicundum; illud admodum interest animadvertisse quo in gradu rerum humanarum civilium subtiterit progressio: aliter enim obtusa, aliter acutiora ingenia afficiuntur; alia de quibuscumque rebus fidei faciendæ ratio, cum jam scriptura adinventa, creati publici Tabelliones; alia verò si unicum probationum genus, testimonia, quæ fluxâ, brevique hominum memoriâ continentur.

XLVIII. Superest, ut de criminibus deque pœnis videamus. Quæ quæstio quum multa cum præcedentibus habeat communia, illud tamen ipsi est quodammodò peculiare, ut eximiam quamdam requirat naturæ humanæ scientiam, & miram in investigandis, eruendisque hominum moribus, animisque sagacitatem: quarum prima Legumlatori præcipuè necessaria est, hæc autem Judici.

XLIX. Hîc verò iterum, ac tertio, & secum ipse animo reputabit, & cum aliis miscebit consilia cautus Legumlator, primum ut cognoscat quæ crimina, & flagitia ita quædam solummodò Civitatis, vel Societatis membra corruperint, ut universi Cives in eorum æquam punitionem consensuri credendi sint: deinde ut quibus, quæque facilius, firmiusque aboleri possint, suppliciis utatur. Utetur verò maximè opportunis si admissi facinoris totam, quanta est, turpitudinem, ac deformitatem in Civium mentibus altius insculpant, universorum verò oculos, animosque sensu quodam miserabili stuporis, & metus ita impleant, ut ab iisdem imposterum perpatrandis quemlibet obstinatiorem retrahant, deterreantque. Huc porrò mirum in modum conferunt non tam crudelia, quam prompta supplicia, quæ veluti sponte cum criminibus consociari, atque a pestiferâ eorumdem naturâ diffluere vulgo videantur.

L. Hîc sanè locus esset nonnulla præscribendi de singulis criminibus, flagitiisque; quæ cuique respondeat magis, & ad quodque eradicandum potissimum conducat pœna; quandò palam, & directè invadenda, quandò verò veluti per cuniculos, & circuitione quadam circum-

venienda. At siquidem non Leges condere statuimus, sed condendarum rationem ostendere, aliqua tantum annectimus de quæstionibus, nimirum de omnimodo judiciorum apparatu, qui detegendis criminibus inventus est.

LI. Ubi de probationibus agitur, quoquo demum modo eæ faciendæ sint; non tam Leges, & Jurisconsulti, quam ipsa rei natura monet, earum vim, & virtutem vix in universum, & genericè à Legumlatoribus posse circumscribi, æquitate verò, & religione judicantium æstimandas. Quò pertinent non modo levia indicia, quibus præsumitur, vel conjicitur crimen, quæque ad instruendum judicium, custodiendum reum, habendas quæstiones necessaria sunt, licet non ejusdem omnia naturæ: verum ipsa testimonia, reorum confessiones, & si qua sunt alia, quæ fidem maximè faciunt in judiciis. Hæc omnia a Judicibus ponderanda sunt, & alia probanda, alia rejicienda. Quæ verò probare, quæque oporteat rejicere, non tam certis limitibus potest definiri, quam quædam regulæ præscribi in quas pro re natâ intueantur Magistratus ad veritatem assequendam per infinitos circumstantiarum, hominumque in varias formas se se effingentium anfractus. Verum quamquam hæc bono Judici utilem præstent operam, ut noxios ab infelicibus, iniquitatem ab justitia secernat, non æque improborum ignorantiæ, avaritiæ, libidini coercendis sufficiunt: ambiguæ enim sunt, & quamdam habent latitudinem, quæ in pravas interpretationes impunè, & sine aperto redargutore potest detorqueri: ut proinde illinc pendeat universorum salus, ut boni viri justitiæ administrandæ præficiantur, qui verè sint Legum Interpretes, non calumniatores.

LII. Hactenus in legibus ipsis quid a bono Legumlatore expectandum sit exposuimus, videamus in præsentia quibus illæ verbis sint concipiendæ, & quomodo publicandæ. Si qua res est in rerum omnium civilium universitate, quam variè moderari necessè sit pro temporum, ac personarum varietate, illa est præcipuè de qua nunc agimus. Verum, ut in cæteris disciplinis, ita in hac accidit, omnium sine controversia præstantissimâ, ut non tam rationi adhæreamus, quam præconceptis opinionibus, vel præclaris exemplis; reliqua verò repudiemus, & damnemus quæ vel minimum ab eisdem differre videantur.

LIII. In Civitatum initiis cum primum leges in scripturam redigi, atque publicari ceptæ sunt, nullâ penè Legumlatorum industriâ, nullâque animorum opus fuit præparatione. Tunc id solum agebatur, ut majorum institua vetustate consecrata, priscique mores, qui profundas in populorum animis jam egerant radices solemnibus verbis concluderentur: cujus rei duplex erat commodum, primum ut facilius cuique innotescerent, & memoriæ insculperentur: alterum ut majorem quamdam stabilitatem rebus publicis compararent, novis consuetudinibus, & peregrinis cæremoniis arcendis, atque eliminandis.

LIV. Quoniam verò istiusmodi Leges ab inolitis moribus vim omnem mutuabantur, & non nisi verbis tenus discrepabant: nullâ suasione, & nullo civilis prudentiæ molimine opus erat, ut populo probarentur. Hinc verbis quam paucissimis, sine uberioris orationis pompa, atque apparatu, nulloque adhibito rationum, atque argumentorum circuitu, pressim, directè, atque jubendi modo proponebantur.

LV. Vetustissimarum Legum simplicitas, & veneranda quædam majestas, posteriorum sapientum oculos percelluit; qui superstitione quadam in transversum acti inde legum quandocumque, & ubicumque ferendarum rationem sumendam esse asseruerunt; quasque leges vel hilum ab illarum forma, & verborum involucro discederent, aspernati sunt, & vix legum nomine dignas crediderunt.

LVI. Non equidem inficior ita scriptis legibus usas fuisse nationes celeberrimas, Græcam præcipuè, & Romanam, ut docent LL. Decemviralium, quæ supersunt fragmenta; immo ipsum Judaicum Populum, cujus Leges, quas etiamnum habemus, omnium, quæ extant, sunt antiquissimæ. Verum id non consilio quodam plerumque factum est, sed ita populorum natura, ac temporum circumstantiis exigentibus. Similiter ob eamdem rationem conceptæ sunt leges recentiorum populorum quo tempore barbariem exuere cœperunt. Nemini ignotæ sunt Gentium Septemtrionalium leges a Lindenbrogio collectæ, Hispanorum, & Gallorum consuetudines ab eruditis viris illustratæ; & quamplurima Italiæ nostræ Statuta Municipalia, quæ ex consuetudinibus medii ævi maximam partem conflata sunt. Hi tamen omnes legum novarum Codices vetustissimas Leges imitantur, neque porro Numini cuidam tutelari, neque reconditæ Legumlatorum sapientiæ acceptæ referri possunt.

LVII. E contrario cum barbariem, ac feritatem deposuissent Nationes, & non solum domesticis exemplis, & rerum ad sensus appellentium speciebus ad agendum impellerentur; sed ratione uti paullatim assuescerent, præ-

teritis videlicet, & futuris præsentia moderari; & ab extraneis etiam Nationibus ad propriam disciplinam exempla sumere non dedignarentur; aliâ ratione explicari, & proponi Leges cœperunt.

LVIII. Propterea si quid novi statuere vellent summi Imperatores, quod maximè e Republica esse arbitrarentur, postquam penitius in negotii naturam inquisivissent; in Lege ipsa consilii sui rationem aperiebant: facti nempe, corruptelarum, & vitiorum quibus occurrere satagebant, seriem, naturam, atque effecta declarabant; remediorum, sive institutionum novarum cum opportunitatem, tum constantem apud exteras Nationes utilitatem ostendebant; omniumque rationes e media jurisprudentia, sive status, quam vocant, ratione, proferebant.

LIX. Verum ad hoc verè sapientis legislatoris culmen, atque celebritatem non illicò assurgere licuit, sed paullatim, & per certa graduum quorumdam intervalla. Hujus tamen rei indicia, ac primordia quædam observari possunt in Christianorum Principum Constitutionibus, quæ in Codice Theodosiano collectæ sunt, maximè verò in Novellis Justiniani, & sequentium Imperatorum.

LX. Tandem nostrâ hac tempestate cum omnia non manu regi, sed ratione gubernari soleant, cumque tanta lux supremos ipsos Principes, Regesque pervaserit, ut verè tandem aliquandò Philosophia regale solium ascendisse videatur; hujus tantæ mutationis indicia in Legibus, præsertim novis, earumque penè ubique ferendi ratione, licet admirari.

LXI. Idcircò, ut olim mediis Reipublicæ Romanæ temporibus antequam lex aliqua a Magistratu majori ad

Populum ferretur, amici in consilium adhibebantur, eisdemque, quæ ferenda erat lex, recitabatur, ut si e republica illa esset, nec ne, secum ipsi sedulò reputarent, atque in commune statuerent; quo fiebat, ut nihil immaturè, & tumultuosè, nihilque non omnibus absolutum numeris, ut plurimum, Populo proponeretur: ita & hodie a plerisque Regibus, sive Optimatum conventibus fieri solet, qui humanioribus Europæ Populis dominantur.

LXII. Quæ cum ita sint, sapiens Legislator leges quidem ipsas quam paucissimis, & ad rem, de qua agetur, describendam maximè accommodatis verbis conceptas proponet, ut tamen brevitas non noceat perspicuitati; sed proæmium quoddam non dedignabitur, quo consilii sui rationes aperiendo, veluti suasione quadam populo universo suam probet sententiam, venerationem eisdem conciliet, faciliorem præbeat interpretationem, atque in usum constantiorem deducat.

LXIII. Relinquitur ut dicatur de Legum publicatione. Porro publicationem præcedere, & quoddam ab ea temporis intervallum excurrere debere priusquam Cives Legibus teneantur, & ratio docet naturalis, & vulgò omnes fatentur.

LXIV. Illud hîc utiliter quæri potest, utrum Leges contrariis moribus abolitas, atque omnino in Civitate oblitas Judex revocare possit sine nova publicatione. Et sanè videtur non posse: perindè enim est ac si numquam extitissent: neque æquitas patitur, illo nos jure obstringi, quod bona fide ignoramus.

LXV. Illa verò est optima publicatio, qua facilius, altiusque in Civium omnium memoriâ, animisque Leges imprimuntur. Suos quæque Civitas habet ritus, à quibus non facilè est discedendum: præterea legum perpetuitati melius hisce nostris temporibus ars consuluit typographica, quàm olim apud veteres primum quernæ, deinde æneæ tabulæ consuluerunt.

LXVI. Verum quid loquor de Legum perpetuitate? Negant hodie plerique leges debere esse perpetuas. Illas circumstantiis accommodari, quæ quum fluxæ sint, & perpetuis subjiciantur conversionibus, ita & leges immutari subindè, & veluti redintegrari necessè esse.

LXVII. Hinc factum, addunt, ut Nationes nonnullæ jus condant non in perpetuum, sed in tempus aliquod determinatum: cujus rei præclarum exemplum habemus in Republica hac nostra Januensi, ubi quamplurimæ extant leges, vulgò temporales, quæ identidem pro re nata confirmantur, vel expirant.

LXVIII. Verum si dicendum est quod sentio; siquidem ego quam paucissimas in benè ordinata Civitate Leges esse statuam, easdem de illis solum rebus, quæ constanter accidere solent, & ab ipsâ omnibus hominibus communi naturâ proficiscuntur, loqui velim; cætera boni Judicis arbitrio, & religioni permittenda censeam: ita perpetuas, quam temporales Leges esse malim. (a)

(a) Oportet tamen aliquando leges ferre in tempus, aliquando in perpetuum latas abrogarè; illas nempe, quas *usus coarguit, aut status aliquis Reipublicæ inutiles reddit*. Tit. Liv. Histor. lib. 34. cap. 6.

LXIX. Neque hoc profectò alicui mirum videbitur, si illud mecum semel in animum induxerit, infinitam penè esse Regum, & Legumlatorum ad animos, moresque civium effingendos, efformandosque potentiam: ut proinde in antecessum & prævidere, & antevertere, & constantia malis ingruentibus remedia opponere possint; *serendi enim mores*, ait Tullius, *non omnia legibus sancienda*. Atque hæc de Legumlatoris officio, sive de optima juris condendi ratione dicta sunto.

§. II.

JURISCONSULTUS.

Scire leges non est verba earum tenere, sed vim & potestatem. L. 17. D. de Leg.

LXX. Ubi Leges latæ sunt, si sententiam præstent ambiguam, aut subobscuram, ex earum verbis, & ratione interpretandæ sunt; si quid peccent propter verborum, quam vocant, universalitatem, æquitate supplendæ, vel indulgentia sunt temperandæ. Primum est Jurisconsulti, secundum Judicis, tertium Principis.

LXXI. Hinc rectè Pomponius Jurisconsultus (a), » Quantum est » inquit » jus in Civitate esse, nisi sint » qui jura regere possint? » (b)

(a) L. 2. §. 13. ff. de Orig. jur.

(b) Hinc benè Tullius, *Magistratum*, inquit, *Legem esse loquentem, Legem autem mutum Magistratum*. De Leg. lib. 3. §. 1.

LXXII. Quamquam enim Legumlatorem in Legibus conscribendis proprietati verborum, & perspicuitati orationis maximè studere oporteat, tamen fieri non potest, ut vocabulis semper utatur illis, quæ legis sententiæ apprimè respondeant, atque ita dilucidè innumeras negotiorum species complectantur, ut quid in unaquaque specie sibi voluerit, Cives universi statim assequantur.

LXXIII. In hac sane re omnium maximè ardua *penitus non peccare, divinitatis magis esset, quam mortalitatis*. (a)

LXXIV. Præterea sicuti nihil est mutabilius sermone, utpote qui pendet ab usu,

Quem penes arbitrium est & jus, & norma loquendi.
Horat. in Arte poet. ver. 72.

unde identidem accidit, ut vetera verba obsolescant, vel in alium sensum detorqueantur; ita quæ initio concinnè, & perspicuè proposita sunt a Juris conditore, nullâ suâ culpâ, obscuriora paullatim evadunt, atque egent tandem interprete. (b)

LXXV. Jam verò interpretari nihil est aliud, quam *sensum auctoris, aut Legis ex ejus ratione, & verbis declarare*. (c)

(a) L. 2. §. Si quid autem, Cod. de veter. jur. enucleand.

(b) Cecinit hac de re laudatus Flaccus

. . . . . *Mortalia facta peribunt,*
Nedum sermonum stet honos, & gratia vivax:
Multa renascentur quæ jam cecidere; cadentque
Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet usus.
In Arte Poet. ver. 68. 69. 70. 71.

(c) Ita Cremani in aureo Libello cui titulus: *De officio Legumlatoris, & Jurisconsulti Cap. 5. pag. 101.*

LXXVI. Hinc duplex dimanat interpretationis species, *logica*, sive *rationalis*, quam vocant, & *grammatica*. His addunt *doctrinalem*, & *usualem*, quarum prima ex *specierum*, sive *legum consonantia*, secunda ex *rebus retro similiter judicatis* elicitur.

LXXVII. Sed hæc sunt vulgaria, & ubique prostant. Nos ad majora progredimur, & fortasse nova.

Postquam aliquis, quomodò Leges condere oporteat, secum ipse animo constituit, decrevitque; id ipsum statim Legum omnium Conditores omninò fecisse non dubitat, sive, quod verius est, de Legum omnium natura, atque interpretatione ita loquitur, ut si e divino quodam Numine effluxissent.

LXXVIII. Vidimus tamen supra rem longè aliter se habuisse; ut nihil tam verum sit, quam *non omnium, quæ a Majoribus constituta sunt, ratio reddi possit*. (a)

LXXIX. Aliter enim quas Deus hominum naturæ indidit leges, aliter quas homines ipsi vel usu, & moribus, vel consilio in commune, vel eximii cujusdam viri sapientiâ præeunte, sibi condiderunt, sunt interpretandæ.

LXXX. Si de naturalibus Legibus sermo sit, quæ solâ constant æquitate, quibusque virtus, & honestas omnis continetur, harum interpretatio inde haurienda est unde Leges ipsæ effluxerunt, ab hominis nempe natura, & ab ipsa Dei Optimi Maximi doctrina, qui hominem a sensilium rerum illecebris, & contagione ad pristinam originis suæ dignitatem veluti redintegravit.

(a) L. 20. ff. de Legibus.

LXXXI. Quod ad Leges attinet Civiles, non una, meâ qui sententiâ, illarum est interpretandi ratio.

Si de rudi aliqua, & semibarbara Natione agatur, ubi non ratione, atque intelligentia, sed rebus ipsis, & factis invectæ sunt Leges, vix aliquis relinquitur interpretationi locus. Eædem illæ rerum humanarum conversiones, quæ certos mores initio pepererunt, novam identidem, priscis abolitis consuetudinibus, vivendi rationem inducunt.

LXXXII. Ubi inoliti mores in scripturam redacti, & populo universo instar legum propositi sunt, tunc sanè si quid ambiguè, aut subobscurè conceptum est initio, aut vetustate accedente obnubilatur Interpretis opem requirere videtur.

LXXXIII. At quam angusta est, atque imperfecta hujusmodi interpretatio! Non licet hîc interpreti ad Legislatoris mentem assurgere, non licet ejusdem consilia, & rationes introspicere, ut ex uno omnium Legum veluti spiritu, & mutuâ consonantiâ, genuinam uniuscujusque sententiam assequatur.

LXXXIV. Ab uberrimo æquitatis campo ad verborum angustias, & ad omnes litterarum angulos revocatur; immò ne in recti quidem sermonis ratione aliquid præsidii potest invenire; quia ut plurimum, inepti consuetudinum consarcinatores barbarâ usi sunt, & numquam sibi constante oratione.

LXXXV. Hoc igitur dumtaxat distant hujusmodi leges a moribus, quod mores ut e factis, & circumstantiis particularibus existunt, ita pro re nata exolescunt, vel etiam meliores evadunt; scriptæ autem Leges veterum institutis vim quamdam addunt, & stabilitatem.

LXXXVI. Præstat itaque malis moribus uti, quam leges habere non bonas; & ubi barbaræ consuetudines, paucorum felici molimine, in scripturam redactæ sunt, omni ope, atque opere obnitendum est, ut in eisdem interpretandis, verborum dumtaxat sonus attendatur, non ratio aliqua comminiscatur, quæ nusquam existit: ita enim fiet, ut earum imperium intra angustos fines concludatur, & latior pateat campus Romanæ, vel potius naturali æquitati.

LXXXVII. Hinc sanè constat turpiter errasse quicumque *municipalia instituta* eodem modo in usum deduci, & interpretatione extendi voluerunt, quo jura romana, vel sapientissimæ quæque leges.

LXXXVIII. Tandem ubi homines ad eum Societatis statum pervenerunt, ut leges bonas ferre, & latas pati possent, tunc sanè, ut æquitas, ita interpretatio longè, latèque dominari cœpta est.

LXXXIX. Hîc tamen distinctio quædam est adhibenda: vel enim leges constant *naturalibus* præceptis, vel *civilibus*, hoc est uniuscujusque Civitatis, aut Populi moribus, & voluntati dumtaxat accommodatis.

XC. Si quæstio sit de Legibus primi generis, illæ ita semper erunt interpretandæ, ut ubi eadem apparebit ratio, eadem, etsi deficiant Legis verba, esse debeat Judicis decisio.

XCI. Hujusmodi enim leges non a solâ Legumlatoris mente, sed à præceptis naturalibus dimanant; quæ cum non verborum conceptionibus circumscribantur, sed ad omnes hominum actiones, & negotia extendantur, ita Leges quæ iisdem constant, ipsorum fœcunditatem,

atque amplitudinem mutuari, & quam latissimè interpretari oportet.

XCII. Hoc de Legibus Civilibus prædicari non potest, quæ quoniam innituntur vel tenebricosis majorum institutis, vel sola Legumlatoris voluntate, ita in eisdem *tantum voluisse Legislator censendus est, quantum dixit.*

XCIII. Laudatæ distinctionis ope contrariæ conciliantur Doctorum opiniones circa Legum interpretationem.

Sunt qui in benè constituta Republica legum interpretationem nullam esse debere pronunciant. Leges ibidem imperare, & quidem solas; oportere idcircò, ut paucæ numero, clarisque, & solemnibus verbis conceptæ, uberrimos æquitatis, & justitiæ fontes per simplicia quædam, & generalia præcepta ita aperiant, ut cuilibet e Populo in hasce legitimas tabulas intuenti statim pateat, quæ, quibus speciebus positis, sint vel non sint consequentia, & juri consentanea.

Si opus sit interpretatione, jam non legibus vivere Cives, sed fori disputatione; omniumque fortunas, felicitatem, caput non justitiæ tutelâ, & templo conquiescere, sed versatili judicantium libidini concredita esse.

XCIV. Sunt contra qui negant leges existere *sine ratione*, ullum esse Legum usum sine interpretatione, ullam legitimam interpretationem si non ab intima ratione, ac veluti a spiritu Legis derivetur. Naturâ rerum conditum esse, ut plura sint negotia quam vocabula, plures species quam leges; ita perquam rarò accidere, ut judex claris uti possit verbis legis ad dirimendam controversiam. Præterea non semper Judices universi juris scientiâ præditos esse; si sint, quamplurimis Civium

negotiis ita distringi, ut singulis eâ qua par est diligentiâ vacare non possint: in hac rerum conditione opus esse juris consultorum, qui vetera revocent, recondita explicent, in speciem, & verbis tenus discrepantia concilient, rerum retrò judicatarum seriem proponant, facti circumstantias ex ingenti documentorum volumine dilucidè exhibeant, illustrent, patefaciant, contraria refellant, & per accuratam facti, & juris disputationem, omnia ante judicis oculos sistant, quæcumque ad rectè jus dicundum, ipsum, ni voluntas obsit, veluti manuducere possint.

XCV. Tandem, pergunt legitimæ interpretationis assertores, a vero quammaximè abludere, quod aliqui hîc oggerunt, judices a fori disputatione *incertiores fieri quamdudum*; hoc videlicet illis dumtaxat judicibus accidere, qui speciei de qua agitur non satis instructi, nullâque idoneâ juris scientiâ imbuti, oscitanter, & remissè ad judicandum accedunt.

XCVI. Nos medium tenentes, in errore versari contendimus tam qui interpretationem omnem e foro eliminandam putant, quam qui ad omnes omninò leges extendunt.

Sunt profectò in Legibus quæ interpretationem admittunt, sunt quæ respuunt: admittunt quæ rationi innituntur, & peculiaria quædam juris naturalis principia proponunt; respuunt quarum ratio vel in moribus, & consuetudine, vel in temporibus, & forma Civitatis, vel in paucorum cupiditate, & commodis, vel in sola Legumlatoris voluntate consistens initio, subinde novarum rerum adventu evanuit, vel est obliterata, Legibus in eodem statu permanentibus.

XCVII. Hæc de legum universarum interpretatione perfunctoriè dicta sunto. Quod verò attinet ad Leges Romanas, quæ paucis abhinc sæculis apud cultiores, humanioresque populos, velut æquitas quædam scripta; in tribunalibus omnibus dominantur, duplex in hanc usque diem invaluit earum interpretandi methodus.

XCVIII. Primæ inventores Irnerius, Accursius, Bartolus, Baldus, aliorumque Jurisconsultorum forensium turba, homines ingenio quidem præstantes, sed verbosæ cuidam, inanique philosophiæ mancipati, solemnem Jurisconsultorum veterum simplicitatem, innumeris distinctionum, & subtilitatum ambagibus obnubilarunt, & vero corruperunt.

XCIX. Nova, sæculo decimo sexto ineunte, emersit Jurisconsultorum secta, quæ nihil in jure civili ratum, pensumque habuit, nisi quod justum, sanctumque esse in Romanis antiquitatibus legisset.

C. Itaque Jurisconsultorum fragmenta, quæ Tribonianus in Pandectis congessit non a recti sermonis ratione, neve a media philosophia interpretari suscepit, sed a Legibus Regiis, & Decemviralibus, & quibuscumque olim Romæ in Comitiis Calatis a majoribus Magistratibus latæ sunt.

CI. Et quoniam ejusmodi leges novis legibus latis, & demum, vetustate accedente, sunt obliteratæ, & maximam partem interierunt, ita veteres omnes Scriptores improbo labore evolvit, consuluitque, ut earum sententias assequeretur, & reliquias veluti ex naufragio colligeret.

CII. His armata præsidiis, tamquam veterem Romanæ Reipublicæ formam, & judicia publica, & institu-

ta omnia civilia instauratura, Digestorum, & Codicis explanationem aggressa est.

CIII. Hinc nedum Triboniano, & Sociis tanti operis succensuit, quod publicum bonum antiquitatis studio anteposuerit, & veterum fragmenta identidem ad novum Reipublicæ statum attemperarit, sed ipsis non rarò veteribus Jurisconsultis, & Prætoribus diem dixit, quod vetustissimi Juris Romani rigore insuper habito, novis inventis nominibus, aliisque machinamentis, pleraque Veterum instituta in speciem suspexerint, reipsa immutarint, atque omninò aboleverint.

CIV. Hi sanè Jurisconsulti, ut uno verborem secem, non quid æquum, sanctumque, non quid a naturali ratione derivatum, sed quid verè Romanum fuerit in Legibus Romanis investigarunt; ut historicos magis egerint, quam Justitiæ Sacerdotes.

CV. Mihi sanè ob id solum reprehendendus videtur Tribonianus, quod non omnem antiquitatis colorem a sua collectione deleverit, excepto si quid cum præsenti Reipublicæ statu conveniret: postquam enim Justinianeæ Leges qua parte jura privata respiciunt, & æquitatis dogmata præ se ferunt, pro jure omnibus populis communi haberi cœperunt, non aliunde interpretari debuisse videntur, quam a recti sermonis ratione, atque a naturalibus juris atque honestatis præceptis.

CVI. Si quid præterea in Pandectis, aut Codice, aut Novellis occurrat, quod alienum sit a nostris moribus, quodve nulla naturalis ratio, aut publica utilitas commendet, hoc sanè ut nullam habet Legis auctoritatem, ita nullam requirit interpretationem: vel etiam usu,

& consuetudinibus fori emolliendum, nostrisque institutis est quammaximè accommodandum.

CVII. Hæc de Legum interpretatione præfati, Jurisconsulti, Judicisque optimi imaginem, veluti in tabula quadam pergimus adumbrare.

CVIII. Non illum sanè Jurisconsulti nomine dignum censebimus, qui nullâ legitima Legum scientiâ imbutus cruda studia in forum propellit, evertendisque Civium fortunis quæstum facit, non *præconem actionum*, *cantorem formularum*, *aucupem syllabarum*, non illum, qui *omissis rectissimis, atque honestissimis studiis sapientiæ, rationis, & officii, consumit omnem operam in exercitatione dicendi*, cujusque *dicendi assiduitas aluit audaciam*, & temeritatem; sed illum verè Justitiæ sacerdotem venerabimur qui *justitiæ, non litigandi vias tradat*, qui *Legum, & consuetudinum earum quibus privati in Civitate utuntur, & ad respondendum, & ad agendum, & ad cavendum peritus sit*, qui numquam a *mendacio contra verum stare* ausus sit, (1) qui sapientiam cum eloquentia copulando ita se amicis, atque omnimodæ præbeat clientum, & consultorum turbæ, ut Patriæ incolumitatem, & commoda præcipuè in oculis habeat, & certissimum, tutissimumque præsidium in ejus fide, atque industria miseris pateat universis. Hic sanè vir dignus erit quem nominemus fortunarum custodem, innocentiæ vindicem, Legum, & libertatis assertorem, & totius oraculum Civitatis.

(1) Cicer. de Invent. Lib. 1. §. 1. & 3., de Orator. Lib. 1. §. 48, & 55.

§. III.

JUDEX.

Quod Legibus omissum est, non omittetur religione judicantium. L. 13. D. de testib.

Verum majus quiddam, & sublimius in optimi Judicis persona nobis videmur intueri.

Illi enim a Principe *ob singularem industriam, exploratâ eorum fide, & gravitate, ad judicandi munus adhiberi solent, quos aliter non judicaturos, vel interpretaturos esse confidit pro sapientia, & luce dignitatis suæ, quam ipse foret vel judicaturus, vel interpretaturus.* (a)

CX. Idcircò quæ ad condendum Legislatori, ad intrepretandum Jurisconsulto necessaria esse vidimus, ea profectò omnia ad jus dicundum in optimo Judice requiruntur.

CXI. Ad judicandum enim non solum juris in quo quotidie versatur, accuratam notitiam Judex afferre debet, sed Legum omnium spiritu, & rationibus imbutum esse, & universa æquitatis, justitiæ, atque juris naturalis præcepta omninò callère oportet. (b)

(a) L. unic. Cod. de Offic. Præf. Præt.

(b) Aliter enim locum habebit sententia Attici apud Ciceronem de Leg. lib. 3. § 20., qui, *sic animadverto*, inquit, *plerosque Magistratus ignoratione juris sui tantum sapere, quantum apparitores velint*: & objurgatio Q. Mutii Scævolæ, qui a Servio Sulpicio de amici negotio interrogatus, cum semel, atque iterum respondisset, & Servius imperitiâ juris non adhuc perciperet; indignatus parumper, *turpe*, dixit, *esse Patricio, & Nobili, jus in quo versaretur ignorare*: L. 2. §. 45. ff. De orig. jur. Gravin. de ort. & progr. Jur. Civil. cap. 65.

CXII. Ita fiet, ut exempla a Legibus secernat, ut inter fucatos versatilis eloquentiæ colores uni justitiæ, & veritati adhæreat, ut a versuti vitiligatoris insidiis cavere possit, utque ea tandem quæ desunt advocatis, quæque a Legibus omissa sunt, religione sua possit supplere.

CXIII. Quandoquidem autem sermo incidit in Judicis religionem, quam æquitas potissimum moderatur, nonnulla de æquitate adnectemus.

Æquitas Grotio (a) definitur *virtus voluntatis, correctrix ejus, in quo Lex propter universalitatem deficit.*

CXIV. Esse verò hanc virtutem Judici maximè necessariam, ita probat laudatus Auctor (b): » Vaga, & lu» brica hominum ingenia ad eum finem quo vera natura » ducit, dirigi non possent, nisi Artis quibusdam regu» lis, quæ ex naturæ ipsius principiis desumerentur: eæ « autem regulæ ad coercendos homines, cum finitæ esse » deberent, ipsa autem rerum, & actionum materia in» finita sit, sequebatur, multa sæpe occurrere, quibus » illæ regulæ non satis congruerent. In quibus oportuit » non regulam, sed ejus qui regulam dedisset, mentem, » atque propositum sequi; id quod erat omnia dirigere » ex principiis naturæ; unde ad ipsa naturæ principia re» currendum fuit, ut ita ex *infinito* suppleretur quod » *finito* deerat: perfecta enim norma rei infinitæ finita » esse non potest. »

(a) In eximio Libello inscripto: *De æquitate, indulgentia, & facilitate* cap. 1. §. 3.

(b) Ibid. §. 5.

CXV. Probata æquitatis necessitate, remanet, ut de usu ipsius dicamus, qui ad omnes omninò Leges nedum humanas, sed etiam divinas extenditur, quæ *universaliter* concipiuntur.

CXVI. Prima naturæ principia, & quæ Leges virtutes in genere ponunt, nihil nisi vitia tollunt, æquitatem non recipiunt. Illa, quia id quod suppletur necessè est legibus præstantioribus suppleri: principia autem prima naturæ, leges sunt præstantissimæ, ut: *Deum esse colendum, homines esse diligendos:* Hæ verò leges quia, virtutes in genere semper sunt amplectendæ, vitia verò vitanda.

CXVII. His dumtaxat exceptis, & ad leges inferiorum potestatum, & ad patrum, maritorum, dominorum imperia, ad vota etiam, pacta, & testamenta, ad omnia videlicet, quæ legis modo jubentur, æquitas pertinet (1).

CXVIII. Jam verò *æquitas* vel *extendit supplendo*, vel *corrigit restringendo*.

CXIX. *Extendit* cum species de qua agitur eidem subest naturæ præcepto, cui lex innititur. *Corrigit*, cum Lex pugnat cum alia Lege, non *intentione*, sed *casu*.

CXX. Leges verò dicuntur pugnare *intentione*, cum omninò contraria intendunt: hæ leges altera per alteram abrogantur, ut semper posterior prævaleat, dum ne inhonestum quid præcipiat; si enim tota Lex, secundum manifestam Legislatoris mentem, pugnet cum Lege naturæ, dubitatur an valere debeat? Sunt qui sequendam esse contendunt auctoritate Jurisconsulti, qui id *perquam*

(1) Grotius Ibid. §. 9.

durum esse, inquit; *sed ita legem scriptam esse*. Nos, si lex sit dubia, assentimur, non autem si apertè sit iniqua: tunc enim nullam habet obligandi vim.

CXXI. Leges pugnant *casu*, si *circa eamdem speciem* contraria jubeant: tunc lex una per alteram exceptionem patitur: ut *augur collegam coram populo nominet: damnatus publico judicio cum populo ne agat: si augur damnatus sit*, inquit Grotius, (1) *addetur priori legi exceptio ex posteriori*.

CXXII. Quoties hoc accidit, lex legi cedat oportet: quæ autem cedere debeat ex æquitate, nempè ex naturæ principiis est dijudicandum; quæ docent, pergit immortalis Grotius » Fortiorem esse legem jubentem per-
» mittente, vetantem jubente, pœnalem non pœnali, par-
» ticularem generali, statim implendam eâ quæ moram
» patitur: imprimis verò pertinentem ad majora, perti-
» nenti ad minora; ita in legibus etiam divinis spectantes
» ad proximum cedunt spectantibus ad Deum, cæremo-
» niales moralibus, & in legibus humanis, eæ quæ ad
» privatam pertinent utilitatem iis quæ ad publicam. »

CXXIII. Hæc verò omnia illuc redeunt ut mentem, & voluntatem, non verba; Legislatorem, non legem respicere debeamus.

CXXIV. Ab æquitate differt *indulgentia*, & *facilitas*, quæ legis etiam, vel juris *remissio*, vulgo *dispensatio* vocatur. Hæc enim obligationem tollit, illa extendit, vel nullam esse declarat.

(1) Ibid. §. 12.

CXXV. Quod ut rectè intelligatur, sciendum est dupliciter cessare legis rationem in specie sub verba legis cadente; vel enim cessat quia lex præstantior contrarium jubet, vel cessat quia nihil ejus habet ea species quod initio Legislatorem impulit ad legem ferendam: illîc nulla est Legis obligatio, hîc manet; illîc *æquitas*, hîc locum habet *dispensatio*.

CXXVI. » Dispensare igitur, hoc est *lege solvere*, » his solus potest, inquit laudatus Grotius (1), qui fe» rendæ, abrogandæque legis potestatem habet. »

CXXVII. Id tamen accipiendum cum temperamento: si enim princeps naturale præceptum, aliquid addendo, lege civili confirmavit, jam non a tota lege dispensare potest; verum id tantum, cessante ratione, tollet, quod ad majorem adjecit Reipublicæ utilitatem; quodque, lege civili non existente, nullam pareret obligationem.

CXXVIII. Patet hinc *æquitatem*, de qua præcipuè hîc quærimus, ad omnia extendi, omnia complecti, & leges universas ita informare, ut ex ea vim omnem, & auctoritatem mutuentur.

CXXIX. Legislatorem igitur, & Judicem ita æquitati subjectos esse volumus, ut eam veluti *divinitatem* quamdam semper intueantur, vereanturque; nihilque omninò juris vel condere, vel dicere audeant, nisi eâ quodammodò inspirante, una adsidente, & consiliis, monitisque suis indesinenter præeunte.

(1) Ibid. cap. 2. §. 10.

CXXX. Verum cum officium Judicis nedum circa jus, sed etiam, imò potissimum, circa factum, a quo jus pendet, versetur, ita quæcumque ad factum conjiciendum, investigandumque tendunt, Judici maximè sunt necessaria.

CXXXI. Huc pertinent omnis generis probationes. Harum multi sunt gradus, qui ad fidem Judici faciendam sufficere vulgò creduntur: hi autem gradus non ita legibus definiri, & circumscribi possunt, ut quæ indicia, quem constituant probationis gradum, statim possit dijudicari.

CXXXII. Totum (a) igitur probationum negotium sagacitati, diligentiæ, & religioni Judicis commissum est, qui ex *temporum*, *personarum*, *documentorum*, & rei de qua agetur natura æstimabit, num litigantium assertioni fides habenda sit, vel de crimine ita constet, ut reus condemnandus, vel pœna nocenti sit infligenda.

CXXVIII. Nos solum hîc monebimus, illud in judiciis omnibus tam civilibus, quam publicis semper optimo Judici esse cavendum, ut numquam condemnatio sequatur, nisi de rei conventi debito, vel de commissi criminis auctore talis existat probatio, quæ omnem animo ipsius dubitationem ita eximat, ut de facti existentia, sine ulla omninò trepidatione, persuasus sit. Reum enim in dubio, & actore non probante esse absolvendum æquitas docet, & omnia jura clamant. (b)

(a) Existunt tamen probationes legitimæ; secundum quas Judex tenetur judicare: ejus itaque arbitrium in æstimandis probationibus non est infinitum, sed certis limitibus circumscribitur.

(b) Innumeræ sunt leges, quæ hoc apertissimè statuunt.

CXXXIV. At enim persuasio Judicis cum errore conjuncta esse potest. Fatemur: sed id raro admodum vel numquam accidet quoties persuasioni, quam scientia, sagacitas, & diligentia produxerint, accedet integritas, voluntas incorrupta, & puræ manus:

Quoties Judex ita se geret, ut ab omnibus reputetur

Vindex avaræ fraudis, & abstinens
Ducentis ad se cuncta pecuniæ,

ut de eo prædicent Cives, quod de Lollio cecinit Flaccus.

Judex honestum prætulit utili, &
Rejecit ALTO DONA NOCENTIUM
VULTU.

CXXXV. Constantia est igitur Judici adhibenda, & gravitas, quæ resistat non solum gratiæ, verum etiam suspicioni. Adjungenda etiam est facilitas in audiendo, in satisfaciendo, ac disputando diligentia.

CXXXVI. Verum quotidiana docet experientia nequaquam satis esse hasce habere virtutes, sed esse circumspiciendum diligenter, ut Judex in jure dicundo non se unum, sed omnes ministros jurisdictionis suæ Civibus, & Reipublicæ præstare videatur.

CXXXVII. Judicem itaque velim ab omnibus ita viventem intueri, ut quemdam ex annalium memoria, aut etiam e Cœlo divinum hominem esse in Civitatem delapsum putent; putabunt autem si cum civibus ita versabitur, & eis sui copiam faciet, ut eorum unicè commodis, utilitatique servire videatur, si toti sit cognitum Reipublicæ, omnium, quibus præsit, salutem, liberos, famam, fortunasque eidem esse carissimas, si nullo obsequio, nullâ gratiâ, nullâque conditione pecuniæ, ab summa integritate, continentiâque possit deduci, denique si omnem avaritiæ suspicionem ita a se amoliatur, ut publica opinio sit, non solum iis qui aliquid acceperint, sed iis etiam qui dederint, eum inimicum (si id cognoverit) futurum. Neque vero quisquam dabit, cum erit hoc perspectum, nihil per eos qui simulant, se apud Judicem multum posse, ab illo solere impetrari. (a)

CXXXVIII. Porrò abstinentia, de qua loquimur, ejusmodi esse debet, ut nullo umquam tempore, nulloque colore quidquam judex sibi accipere licere arbitretur: neque mentem dumtaxat ab omni quæstu alienam habeat, sed omnia indignabundus rejiciat quæcumque a privatis vel ante cœptam litem, vel post caussæ decisionem offeruntur.

CXXXIX. Paucis, nihil omnino Judicem juris dicundi caussa undecumque, vel quandocumque habere oportet præter mercedem, si qua sit eidem a Legibus constituta; qui quoquo modo cupiditati indulgeat, tantum justitiæ detrahat necessè est quantum illi concedet: concedet autem quamplurimum; & nulla paullatim existet injuria, nullum crimen quod pecunia redimi nequeat, ut de eo tandem dici possit,

. . . . . *neglectis iura, fidemque*
Exponis totâ venalem Legibus urbe. (b)

(a) Legenda omnino eloquentissima Ciceronis Epistola ad Q. Fratrem Lib. 1. Epist. 1., ubi latè tradit quæ pertinent ad Optimi Judicis, & Magistratus officium.

(b) Ita elegantissimus Poeta Joannes *Della Casa* in quadam Satyra latina.